

Lusonia

Secretius responsum à Sigismundo primo rege Poloniae, datum Alberto duci Prussiae die 5. Maji 1526. Gdani.

50

Illustrissime princeps. Credit abunde sacra maiestas regia nonnihil esse de his, quae adversus illustrissimam dominationem vestram tractari in Germania dominus magister Livoniae inducit.

Nam et maiestas sua certissimum habet documentum ex urbe Roma, et aula caesaris, omnes indigno animo ferre, et pessime interpretari ubique in regnis et dominis christianis, hanc cum illustrissima dominatione vestra concordiam, quasi adversus religionem catholicam factam, sigillatamque à plerisque maiestatem suam, tanquam iam ab unitate ecclesiae diulsam, et labe haeretica contaminatam.

Et cum regum et principum nulla sit dos et felicitas maior, quam gloria et fama inculpata, non libenter hanc de se existimationem eius maiestas audivit.

Non veretur tamen eius maiestas notam, aut difficultates aliquas ratione ordinis, qui iam prius alibi excludi et

extingui

extingui solebat summo pontifice et cæsare ferente, speraretque maiestas sua si de illo solo ageretur, effici posse, ut et ipse pontifex et cæsar ratum haberent successu temporis.

Verum si quid erit difficultatis, erit magis causa et pretextu hæresis, que tolerari diutius à christianis principibus, et homines in ea insolentia, tanquam equus excusso freno, relinqui non poterint, sine communi omnium errore et perniciè. Et proinde si quid causa religionis adversus illustrissimam Dominationem vestram, præsertim ex communi Decreto summatum et principum christianorum, quam in hoc casu maiestatem suam adesse illi conveniret adversus religionem, potest ipsa seum satis considerare.

Propterea rogat plurimum eius maiestas illustrissimam Dominationem vestram, et illi tanquam pater filio consulit, ut spem suam non ædificet super hoc fundamento, quod iam dudum et nunc est ab universis tam ecclesiasticis quam secularibus potestatibus, regibus, dominis et universitatibus christianis damnatum et explosum, sed contineat se in his terminis fidei, quos nobis maiores nostri reliquerunt, donec uni

versalis

universalis ecclesia de his dissensionibus quas seditiosi homines excitaverunt, dispiciat, sic enim et notam ignominiae, et multas alias difficultates illustrissima dominationis vestra declinare poterit, et favorabilior erit omnis cum pontificis et caesarea maiestate actio, et apud illos impetratio.

Si quid replicabit de verbo Dei, dicendum:

Scripturam et verbum Dei nec maiestas regia, nec quisquam christianus damnat vel oppugnat, sed oppugnantur interpretationes apostatarum, et abusus verbi Dei.

Et ut non nova res sit heresis, ita nulla fuit doctrina adeo inepta et impia, quae non scripturis niteretur, sed suo sensu interpretatis, quae si ecclesia non moderaretur et diiudicaret, quid certi in fide haberi possit.

Sed et verbum Dei non Deus sed homines scripserunt, nec omnes sunt recepti, homines etiam ipsum verbum Dei tenere et illi credere statuerunt, et si ecclesiasticae traditiones ut humanae, auctoritatem non haberent, nec scriptura aliquam fidem habere posset, et proinde absque consensu

et

et unitate ecclesie, vera fides et religio  
constare non potest.

Non consistit religio in huius vel  
illius disputatione, in qua sibi quisque  
victor esse videtur, se in determinationi-  
bus eorum, qui in cathedra Moysi ve-  
dent, et quibus Christus obediendum  
præcipit.

Nisi sunt innumeri hæretici, nisi  
et reges ac imperatores adversus ipsam  
cathedram et auctoritatem ecclesie, quid  
tandem effecerunt, quam sibi memoriam  
et utilitatem comparaverunt, manifestus  
est quam oporteat explicare, omnes enim  
quicumque ab unitate ecclesie defecerunt,  
vel ab infidelibus absorpti sunt, vel dome-  
sticis saltem turbis et calamitatibus se  
se conferunt, et ignominiosissime pone-  
runt. Et proinde rogat maiestatem suam  
illustrissimam dominationem vestram, ut  
potius et de scripturis aliisque rebus, cum  
sede apostolica, cum cesarea maiestate,  
et regibus christianis, cumque tot secu-  
lis approbatis moribus et consuetudinibus,  
quam cum apostatis et nullius prætij  
hominibus, congruat et conveniat.